caritatem tuam primam reliquisti, nobis adhesisti. O dilecta nostra Babilon, et o cives nostri qui huc de Ierusalem transmigrastis, vos merito diligimus, vobis applaudimus, qui leges Simonis Petri negligitis, et legibus Simonis Magi amici nostri penitus adherentes, ipsis tenetis ad unguem et publice exercetis in templo Dei vendentes et ementes spiritualia ⁽¹⁾ et contra Christi precepta distribuitis beneficia et honores, aut prece vel pretio aut pro turpi servicio seu favore; et ad ecclesiasticas dignitates reprobando dignos, indignos promovetis indigne, utpote ganeo-nes, lenones, aut megaros vestros nepotes aut filios proprios, ut hereditarie possideatis sanctuarium Dei; et uni puero multas confertis prebendas, quarum minimam probo pauperi denegatis, personas accipitis et munera, curam habetis pecuniarum non animarum, domum Christi fecistis speluncam latronum ⁽²⁾, omnis abusus, omnis unquam extorsio in foro vestro plusquam centies exercetur, tenetis et totum vestra dispensatione ad libitum dissipatis: « Iustificatis impium pro meritis et iustitiam iusti aufertis ab eo » ⁽³⁾. Et breviter, omnia genera scelerorum prout volumus perpetratis et multum vestri gratia in nostro servitio insudatis, potissime ad destructionem fidei christiane. Iam enim laici de fide hesitant, et si predicatis quandoque, licet non nisi tantum negligenter et raro, non tamen credunt, quoniam manifeste vident quod quisque vestrum contrarium operatur; et sic ostenditis vos credere aliud quam dicatis, unde et ipsi vos sequentes, qui sibi estis in exemplo, iam ut plurimum nostris utuntur regulis, irruentes in pelagus vitiorum, et ad funereas edes baratri assidue confluit ipsorum maxima multitudo. Et enim ex omni hominum genere nobis cotidie transmittitis, quod capere non possemus, nisi quia nostrum chaos insatiabile mille faucibus avidis innumerabiles animas deglutiret: et sic per vos nostri imperii principatus extitit reformitus, et damnum nobis importabile restitutum. Unde vos habemus multipliciter commendatos atque grates magnas referimus, nihilominus exhortantes quatenus perseveretis sicut facitis semper ulterius procedendo, quia per vos intendimus et speramus totum mundum sub nostra iurisdictione iterum revocare. Iam enim pro multitudine quam nobis destinatis, his obscuris recessibus multipliciter occupati, vobis in terris superius committimus vices nostras, et volumus vos esse nostros vicarios, et ministros etiam esse de missione propinqua Antichristi cogitamus, cui viam optime preparatis. In vestrum tamen consilium atque auxilium de stigiis eminentibus et satrapis Inferni aliquos deputamus, quorum suggestionibus acquiescere et dolosis inventionibus etiam addere vestra calliditas consuevit et novit. Insuper vobis, qui summum tenetis apicem, consulimus ad cautelam ut inter principes seculi pacem fecte procuretis, sed occulte causas discordie nutriatis, et sicut astute Romanum imperium, ita ne permittatis aliud regnum nimium ampliari, ne forte multum fortificati et pacem habentes vellent deprimere statum vestrum et a nobis auferre thesauros, quos apud vos

(1) MATT. 21,12.

(2) MATT. 21,13.

(3) ISA. 5,23.

in deposito Antichristi diximus reservari. Commendatas habete nostras carissimas filias Superbiam, Avaritiam, Fraudem, Luxuriam et alias: precipue dominam Simoniam, que vos fecit ac propriis lactavit uberibus et nutrit. Ipsamque non vocetis simoniam seu peccatum, quia omnia vestra sunt, vel ergo potestis vendere, quia de vestro proprio solvuntur: nec vos estis superbi, quia talem requirit magnificentiam status vester; nec avari, quia pro sancto Petro est quicquid congregatis et thesaurus ecclesie seu patrimonium crucifixi. Promoveatis vestros sicut Christus ad apostolatam vocavit cognatos et notos⁽¹⁾; taceatis quod ipsi vocabantur ad statum pauperem et vestri ad divitias, quod reliquerunt omnia et vestris tribuitis infinita et sic de aliis, sicut melius nostis, propterea vitia sub virtutis specie palliata. Et allegetis pro vobis et glossetis pro scripturis distorte et advocatis ad propositum indirecte; et si quis contra vos predicet aut doceat, ipsum excommunicantes violenter opprimate et a vobis tamquam hereticus condemnentur. Tantum inde faciatis, quod locum valeatis habere, quem vobis paravimus sub nostri habitaculi secretissimo fundamento et quem vobis singulariter reservamus, ubi nondum quisquam novit accedere, exceptis maioribus satrapis regni nostri. Vos enim nec speratis ut beati futurum premium nec eternum supplicium formidatis: ideoque nec vitam quam non creditis habebitis, sed nobiscum post mortem obtinebitis quam dum vivitis non timetis. Valet illa felicitate quam vobis desideramus et intendimus finaliter premiare. Datum apud centrum terre in nostro palatio tenebroso, presentibus catervis demonum propter hoc specialiter vocatorum ad nostrum concistorium dolorosum, sub terribili signeti caractere in robore premissorum.

II.

SERMO DE QUOLIBET STATU HOMINUM.

[cod. Vaticano lat. 804, cc. 268-73]

Lucifer, princeps tenebrarum dictus, tristia regens, Acherontis imperator, rex Inferni, dux Herebi rectorque Gehenne, universis sociis regni nostri, filiis superbie qui gloriantur cum male fecerint et exultant in rebus pessimis, presertim moderni temporis ecclesie principibus et senioribus, a quibus egressa est iniquitas, de quibus propheta dicit « Odivi ecclesiam malignantium » salutem, quam Yoab salutavit Abner⁽²⁾, quam vobis optamus in visceribus nostris, quia ex patre diabolo estis et opera patris vestri facitis et prout incepistis legibus parere Sathane omnia in malum interpretantes et nostri iuris precepta que sunt mechari, fornicari et dissimilia iugiter observare. Contradictiones per vestram tyrannidem et

(1) LUC. 2,44.

(2) Cf. IOB. 5,4: « Longe fient filii eius a salute ».

potentia appellationi priusposita compescendum, dudum siquidem Christi vicarii, ut vobis placet, dixerunt: « Recedite a nobis, scientiam viarum vestrarum nonolumus » (1). Hi sequentes Christi vestigia, signis et virtutibus constantes et egentes sub paupertatis vita a vobis, inquam, despecta; per suas operationes et predicationes: fecerunt enim quod docuerunt, quemadmodum ex vita et doctrina magistris sui, adversarii nostri, habuerunt. Vos vero legem nostram sequentes, id quod verbo dicitis, operibus adimplere minime curatis, eo teste qui dicit: « Dicunt enim et non faciunt » (2). Ducti namque vicarii Christi, scilicet prophete, apostoli, martires, confessores, quasi totum mundum aureo tyrannidis iugo ad suam converterunt doctrinam et vitam in nostri tartarii regni lesionem magnam, nec non in vestre iurisdictionis non modicum preiudicium, damnum interesse et gravamen, nostram non verentes ledere personam ac terrificam nostri status maiestatem: fundati enim erunt super firmam petram, idest adversarium nostrum Christum. Illo namque tempore a mundo nulla recepimus tributa, nec amore solito catervatim ad nostri baratri limina ruebant populi; sed declivis et lata via que ducit ad mortem sine strepitu manebat, nullis miserorum gressibus conculcata, totaque nostra curia vacans extiterat et ferrata, ulubalat noster Infernus anxius et spoliatus. Unde nostri pectoris impatiens feritas sentiens se multipliciter per predictos Christi vicarios gravatam, timens quod plus posset gravari in futurum, ipsa etiam gravamina ultra ferre non valuit neque amplius potuit tolerari; sed precavens futurum, obviando periculis, habito super hoc versutie peritorum ac consortium consilio nostrorum generali, qui utique in omni astutia ultra dictos Christi vicarios et sequaces eorum merito te extolli affirmant, de remedio providimus opportuno, attendentes quod dicitur: « Quod a pluribus queritur, facilius invenitur ». Vos familiares et amicos nostros, quos presens tangit negotium, qui modernis temporibus ecclesie presidetis, provocamus appellando; vos itaque amici iniquitatis, principes et fideles et socii, futurum pro nunc ecclesie dominantes, accipiendo munera pervertitis iudicia. Sed adversarius noster Christus dixit de vobis: « Regnaverunt, sed non ex me ».

Vos per vestram inexplicabilem astutiam et potentiam qua dominamini a mari usque ad mare, pro tribunali et loco iudiciali vice nostra presides fecimus ut evellent omnem palmitem, non fruticem fructum secundum nostra decreta. At in partis nostre favorem bene appellatum et male processum per vicarios ante dictos pronuntiastis: super que vobis gratias dicimus, o dilecti ambasiatores nostri et amici carissimi, qui pro viribus adimpletis omnia que in nostris oculis bene placita sunt et accepta. Idcirco vos vestro exigente merito dictis vestris adversariis et eorum sequacibus volumus anteferri. Quia vos desideratis preesse, non prodesse et quorum saltem non zelatis eorum subiectionem, satis ambitiose vindicatis: collata enim vobis dignitas non effecit vos dignos, sed potius vos fures, latrones et indignos ostendit. Adversario enim nostro Chri-

(1) JOB. 21,14.

(2) MATT. 23,3.

sto semel promissimus omnia regna mundi si cadens nos adoraret. Ipse vero noluit, dicens « Regnum meum non est de hoc mundo »: non enim vellet ministrari, sed ministrare. Et fugit quando turbe eum in regem temporalem eligere voluerunt. Vos autem concives nostri primi, in conviviis queritis salutationem hominum, in plateis et in foro nomine rabi ab omnibus appellari desideratis. Vos enim estis qui de gratia cecidistis in merorem, de vita in mortem et nobis in terris ministratis pro vestro libitu atque posse vestro. Impleta est in vobis prophetia, dicens: « Ibunt in progenies patria suorum et usque in eternum non videbunt lumen »⁽¹⁾. Iam enim per vos imperia terre habentur que vobis nescitis, nostris fidelibus contulimus aliisque negotiis impediti vobis in terris promissimus et presentibus committimus vices nostras, donec eas et nos una nobiscum duxerimus revocandas. Ipse namque adversarius noster de vobis dixit: « Venit enim princeps mundi huius et super omnes filios superbie nos voluit regnare, cuius regni non est finis ». Subiciebantur itaque principibus huius seculi in temporalibus viri adversarii nostri antedicti, scilicet prophete, apostoli, martires et confessores, periculis mortis se pro iusticia exponentes. Vos vero commensationibus et ebrietatibus dediti, colla vestra incessanter vino profunditis, dicentes « O quanto patimur pro ecclesia »; devorate igitur et inebriamini et ad placitum nostrum venite. Repentinus enim super vos veniet interitus: dicebant enim viri supradicti non solum ore, immo etiam opere dicentes « Subiecti estote omni creature propter Deum, sive regi tamquam precellenti », et rursus « Obedite prepositis vestris »; sic enim magister eorum fecit, atque precepit eis dicens: « Reges gentium dominantur eorum et qui potestatem habent super eos, benefici vocantur, vos autem non sic ». Non enim expavescitis in altum collum vestrum extollere et contra Deum et sanctos eius garrulare. Et sicut prediximus, adversarius noster detestabilem et inopem vitam gerebat in continuis laboribus et erumnis. Iam enim vos prelati estis avari, luxuriosi. Iam ipsis primis patribus in moribus et vita non dispares, sed penitus contrarii, ipsosque in derisum et similitudinem improperii habentes, super omnes elati et omnia possidentes fingentes vos pauperes et mendicos, effecti autem estis inopes non census et pecunie, sed gratie et vite eterne. Nec redditus que sunt Cesaris Cesari, nec que sunt Dei Deo, sed totum vobis imbursatis, immo secundum vestra decreta iurisdictionem utriusque gladii exercentes, vos mundanis immiscentes et secularibus negotiis implicati, nobis militantes et dissimulata paupertatis miseria, gradatim ascenditis ad culmen honorum, demum ligatis manibus et pedibus precipitandi in lacum horrorem: potentes enim per nos effecti, nobiscum patiimini tormenta eterna. Vos itaque ad summa dignitatum vestigia promoti, per inexcogitatas practicas et fallaces adulationes, mendacia, proditiones, fraudes simoniacas et ceteras nequitias quos oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, nec non per vestras baratarias profundiores et ampliores quam

(1) Ps. 48, 20. La citazione esatta è: « Introibit usque in progenies patrum suorum, ecc. ».

excogitari posset nostra curia infernalis. Cum autem sic erecti et sublimati estis, vobis non sufficit sed magis famelici quam ante, de malo in peius festinanter pauperes opprimitis, ipsosque audire contemnitis, immo contra veritatem violenter opprimitis dicentes: « Recede, scriptum est non apparebis vacuus in conspectum principis ». Sed cum pauper pro iustitia et iure suo vobis supplicet, subaudit; si autem pro se et iure suo canones adducit, dicitis: « Tace ribalde, nescis quod dicis; contra stilum enim et modum palatii allegas »; si autem secundum stilum et modum palatii allegat, dicitis « O beane, numquam contra canones et leges instare non formides? ». Et quemcumque modum vel viam pauper eligit, vos semper contrarium fovere consuevistis. Omnia rapitis, totum pervertis inflati superbia, similes pamparum baiulis luxuriose vivendo in deliciis et fornicationibus corporalibus ducitis vitam vestram; nomina vestra in terris celebratis, dominos ac patres vos appellando. Nomina vero vestra deleta sunt de libro viventium et cum iustis non scribuntur. Bona etiam qui aut violenter rapitis aut per abusiones fruitis, aut fallaciter extorquetis et frivole possidetis contra Deum et iusticiam, que quidem bona pro sustentationibus pauperum Christi, quibus fuerunt congregata, in usus vobis placitos et vobis obnoxios dilapidatis. Ex hiis garciones, meretrices et lenones pascitis et nutritis; pascitis canes, ursos et accipitres quibus pascere debetis pauperes. Cum enim velut terrarum principes inceditis, vestibus etiam mirificis et mollibus deambulatis, non sicut ille qui fecit zonam pelliceam et induebatur camelorum pilis, sed sicut dives ille qui induebatur purpura et bisso. Etiam vobis palatia more Babiloniorum spectacula edificatis, omni amenitate et pulchritudine plena, comedetis pingua et bibitis vina, miro modo et curioso lascivitatis exquisita, ut prodeat quasi ex adipe iniquitas vestra. Non sicut sacerdotes veteris legis qui vinum et siceram non biberunt, nec sicut ille qui locustas et mel silvestre edebat, sed dives ille qui cotidie epulebatur splendide, qui sepultus est in inferno, cuius contubernio volumus vos esse participes indubitanter. Thesauros ex usuris turpe lucratos, simoniis et iniquitate et falsitate turpissime acquisitas adamatis. Non sicut ille qui dixit « Argentum et aurum non est mihi », vos miseriam vestram in stratam publicam et viam regiam reformastis. O societas gratissima, nobis per prophetam promissa, qui te vocavit sinagogam Sathane et designavit per meretricem magnam, que fornicata est cum regibus terre, facta de matre noverca, de sponsa Christi adultera, de casta meretrix: o malorum adinventrix, bonorum desolatrix, vanitatum imperatrix, confracte mamme pubertatis tue, quia non erubescis, sed exardescit sicut ignis in spinis iniquitas tua. Caritatem tuam primam reliquisti, nobis adhesisti: te enim non cognoscet dominus nec intelliget Deus Jacob. Aliis quoque viam mortis et laqueum interitus aperuisti, ipsosque ut adorarent deos alienos et servirent eos informasti. O dilecta nostra Babilonia, o cives et consortes nostri amici et fautores nostri, qui huc de Hierusalem trasmigrastis, vos merito diligimus, vobis applaudimus vosque nobiscum perpetue potabitis calicem Babilonis. Leges Simonis Petri aure surda ad similitudinem aspidis obturantis aurem suam, ad vocem incantantis preteritis et legibus Simonis Magi amici no-

stri puta simoniacis maleficiis et prenosticationibus iugiter adheretis, ipsasque cunctas ad unguem servatis et publice servatis et exercetis, in templo Dei vendentes et ementes spiritualia non excluditis, et contra Christi precepta distribuitis beneficia et honores aut prece vel pretio. Qui enim plus dederit satius accipit, aut pro turpi servitio vobis impenso aut ad impendendum ex favore. Divites accipitis, pauperes refutatis licet dignos, indignos minus digne promovetis, utpote lenones, garciones, nepotes, et filios vestros proprios ex illicito coitu procreatos ad hereditatem et patrimonium crucifixi et ad sanctuarium Dei evocatis, et uni puero multas confertis dignitates, quarum licet et minimam probo et deserto pauperi denegatis, simulantes vos ignorare quod scriptum est: « Quoniam in pastura divi-
 « norum eloquiorum conducet gregem domini tum pastoris ». Ideoque personam accipitis, non attendentes quod scriptum est: « Non est acceptor personarum domi-
 « nus » (1). Curam habetis pecuniarum, non animarum, domum Christi speluncam fecistis latronum. Circuit enim latenter vestra sevicia ut vapulet pauperem, et insidiatur, quasi leo in spelunca sua. Omnis abusus, omnis extorsio apud vos plus centies exercetur quam apud seculares tyrannos, legem statuitis, quammet non servatis; sed hoc solum facitis, ut pauperes excoriare valeatis. O filii perditionis, numquam parcat vobis ira domini in die tribulationis.

Insuper vos parochialium ecclesiarum rectores quos cura contingit animarum, hoc nostrum decretum processum nolumus sub silentio preterire. Per vos namque multa scelerum genera perpetravimus (2); vos enim estis qui permansistis nobiscum in tribulationibus nostris et nos disposuimus habitationem vestram vobis ab eterno preordinatam; vos namque ceci ductores cecorum, qui devote tractatis incestuosam filiam veneris et de mane in altare osculamini filium Virginis, qui de mane surgitis ad potandum, ad crapulandum et ebrietatem commiscetis, adhuc etiam cepas et alia victuantes semicruda, ad celebrandum acceditis. Cum enim ad altare curritis, illud osculantes dicit vobis Christus: « O Iuda, « osculo filium hominis tradis? » (3); cum vero dicitis « Orate pro me », respondet vobis adversarius noster Christus: « Oratio tua fiat in peccatum » (4); cum autem verba in canone veritatis in faciem Christi spuitis, cum corpus sanctificatum elevatis ipso pugno percutitis, cum manibus immundis corpus Christi tractatis, dicit vobis Christus: « Manus tradentis mecum est » (5); in mensa cum dividitis, crugifigitis, cum indigne fruitis dicit vobis Christus: « Que utilitas in sanguine meo « dum descendo in corruptionem, idest in tuam damnationem? ». Vos namque non rectores, sed revectores a conspectu altissimi estis animarum: multum enim et potissime nostro servitio insudastis quantum ad destructionem fidei altissimi. O prevaricatores et servi nequam, o genetiva viperarum, o diversores animarum,

(1) ACT. 10,34.

(2) Codice: perpetrando.

(3) LUC. 22,48.

(4) PS. 108,7.

(5) LUC. 22,21.

quis dabit vobis iram Dei effugere que super vos ventura est? Quam rationem reddetis de villicatione vestra in die furoris domini, cum incipietis dicere montibus « Cadite super nos » et collibus « Operite vos? » Quis nam tunc locus erit refugii et quis stabit ad excusandum vos? Accusatores multos habetis, non excusatores. Tunc tempus tribulationis et vindicte veniet. O miseri miseris miserabiliores! Sed quid ad placitum veniet dum tempus habetis? Nos enim stabimus pro vobis et sub umbra alarum nostrarum colligimini: non peribit capillus de capite vestro. Iam enim laici maxime hesitant in fide et ipsis licet quandoque predicatis, ipsi tamen vobis fidem minime adhibent creditivam, cum manifeste quemlibet vestrum conspiciunt contraria operantem. Vos namque ipsis laicis elemosinas, missas, offertoria imponitis pro emenda, ut satiatur et impleatur nequitia vestra; vos autem raro, immo rarissime elemosinas et ieiunia et similia facitis, et si vos contingat missas celebrare non ex devotione, sed ex consuetudine hoc facitis. Ex hoc namque peiores estis quam Iuda, qui Christum pro triginta denarios vendidit: vos vero in plateis, in foro vel alias quocumque constituti Christum venalem pro uno denario exhibetis dicentes: « Quod vultis mihi date, et ego vobis missam cantabo ». Et illi constituunt unum denarium. Ecce quomodo Christum vilipenditis, quem pro uno denario offertis. Unde scriptum est: « Ne offeratis ultra sacrificium frustra, abominatio est mihi ». Quam ob rem laici quibus preestis in animarum suarum non modicum periculum, vestra sequentes exempla iam ut plurimum vestris utuntur reticulis, irruentes in plagas vitiorum et dicentes: « Nos in morte ipsius conmanebimus, quibus in vita congaudebamus ». Non enim soli erimus si deglutiverit vos Infernus. Et hec desperatio forte per vos venit, quibus commissa est cura animarum: iam enim ad firmatas edes baratri ipsorum assidue maxime confluit multitudo. Vos namque immerito et negligenter sacramentorum usum quemadmodum in abusum convertitis. Sacramenta namque per Christum sunt data et pro fidelibus instituta; vos autem indifferenter usurariis publicis, maleficis scismaticis etiam quibuscumque advenientibus datis, si vobis saltem partem turpis lucri impartiti fuerint, ut impleatur quod dictum est per vos: « Date nobis et orabimus pro vobis ». O generatio perversa et exasperans, iam aurum tuum versum est in scoriam, vinum tuum mixtum est aqua, et hoc ipsum vos non solum facitis qui curam animarum geritis, verum etiam fideles nostri nobis sinceri et fratres nostri reverendissimi, qui sub paupertatis pretextu et pietatis habitu transeunt, quorum ab extra bona apparent opera, intus secus autem sunt lupi rapaces.

Ex fructibus eorum cognoscetis eos, et hii sunt qui fimbrias suas dilatant et populis patientiam predicant. Hos simplices vocant fratres mendicantes: fratres quidem nomine, pauci vero re. Nominant enim se fratres, sed scutelle et cappe eorum non sunt sorores: nam ipsi laboribus propter commodum, non mundanis deliciis propter Christum renunciant. Mendaces, inquam, non mendici: mendicantes enim sunt, quia omnia postulant et petunt; modo enim sunt mendici, quia nullis carent. Dicunt autem se nihil habentes, sed omnia possidentes: propria enim se habere non posse dicunt, sed communia. Siquis forte census

pecuniarum seu redditus, quos se pater prior, pater guardianus, pater custos, pro communitate habere dicunt et communem usum fructum sacciferorum distribuere et dividere vellent, ipsum peccato desistere dicerent, quia hec pars nos, qui curam gerimus regulam observantium, contraxit. Non advertunt quod scriptum est: « Monachus habens nummum non valet obulum ». Sed quid cum pro Christi nomine se quis ad religionem petit assumi, ipsi dicunt: « Quantum dare potestis? » et certam conventionem cum illo faciunt, ac si quis vaccam vel asinum in foro emere vellet? Sed hoc palliare volentes: « Ecce pauperes sumus, refectorium nostrum et habitationes domum minantur; hanc igitur pecuniam pro refectioe et fabrica ecclesie nostre et in pretium fabrice nostre deputamus. Dabitur enim marca sutori, marca braxatori, marca sartori, marca vasori et ceteris, prout vos noscitis ». O fratres, primos in palatio nostro habere volumus vos, et nostro aspectui semper assistere vos; enim, secundum quod dicam, nostra maiestas et nostre tyrannidis feritas assidue in nostris beneplacitis placabiles vos reddit et acceptos. Quos namque perpetratis, aliquando proprii plebani absolute pertimescunt: hos vos indifferenter et quoscumque undecumque venientes recipitis, non ferentes saltem mittere in missam alienam, sed semper intrare dicitis fures, predones, latrones, vispilliones, usurarios et maleficos scismaticos, adulteros et fornicatores, aut fornicarios condissimiles, quos tempus non patitur enumerare. Vos enim non estis pastores, sed fures et latrones. Nam non per ostium sed aliunde ascenditis in ovile ovium, vobis usurpantes id quod ad vos minime spectat; maxime quemlibet quocumque vinculo ligatum absolute dicitis et merito, quia si non a vitulis, saltem a pecunia, et si non absolvitis a crimine, saltem ipsius iniquitatis ab ere. Nos vero verbis multipliciter regratiantes, de stipendio suo tempore intendimus sine fallo providere: in excelsis quippe non habitabitis, quia manus vestras a muneribus non excutitis et quia in manibus vestris iniquitates sunt et dextera vestra repleta est muneribus. Vos enim fratres (ut sic loquamini), vestris susurrationibus et falsis suggestionibus populum de suis propriis plebanis et sacerdotibus abstrahitis. Quid hoc facto turpius? Vos continuas simulatis orationes: sed scriptum est « Populus hic me labiis honorat; cor autem eorum longe est a me »⁽¹⁾ de vobis, ipocrite. Ad vos namque solum vestra deflere peccata et non immiscere curam animarum spectat. Quomodo namque eterna distribuere poteritis, qui id quod ad vos spectat minime servatis? Prudenter autem, quemadmodum incepistis et hactenus consuevistis, procedite: tot enim vias in omni genere et natione que sub celo est cotidie transmittitis, quod ipsas capere non possemus, nisi nostrum chaos insatiabile mille miliens faucibus deglutiret. In maxima etenim parte nostri imperii principatus per vos est reformatus, pro quo vobis ipsis damnum importabile restituatur. Vos enim Tartara nostra adimplere laboratis, dicentes ad nostrum Infernum: « Dilata os tuum et implebo illud ». Unde habemus vos multipliciter recommendatos, nichilominus exhortantes vos quatenus perseveretis quemadmodum

(1) MATT. 15,8 [ISAÏ. 29,13].

incepistis, quia per vos intendimus totum mundum sub nostra iurisdictione et servitute reservare. Iam enim pro multitudine quam nobis cotidie destinatis adeo occupati, quod vobis principaliter loqui non possumus, sed hiis obscuris processibus, committimus vice nostra esse vicarios et ministros insuper universis et singulis quibus presens noster processus dirigitur, et quos negotium tangit infrascriptum: et presertim vobis, qui summam tenetis apicem consulimus ad cautelam, scilicet pape, cardinalibus, patriarchis, archiepiscopis, episcopis et prelati, ut inter principes terre pacem fictitie procuretur, sed tamen occulte causas discordie nutriendo. Vos enim tamquam versuti et astuti dolosis adinventionibus et falsis suggestionibus adherere consuevistis. Et sicut astute bonum destruxistis imperium, ita non permittatis aliquem nimium ampliari, ne multum fortificati et pacem habentes velint deprimere statum vestrum et a vobis auferre thesauros, quos apud vos pro Antichristo fecimus reservari, de cuius etiam Antichristi adventu propinquo summe cogitamus. Cui et viam optime preparatis: filias etenim nostras carissimas quas progenuimus de uxore nostra Iniquitate, scilicet Simoniam, Ipocrisim, Rapinam, Usuram, Dolum, Sacrilegium, Falsum sermonem, Superbiam, Luxuriam habete vobis recommendatas et presertim dominam Simoniam. Ipsa enim est que fecit vos et propriis lactavit uberibus et nutrit: ipsam non vocatis simoniam seu peccatum, quia omnia que vestra sunt potestis vendere. Etiam vos amici nostri supradicti et potentes, non estis superbi quia talem magnificentiam requirit status vester, nec avari, quia pro sancto Petro est quidquid congregatis pro ecclesia et patrimonio Christi. Vos promovetis vestros, sed Christus ad apostolatam vocavit magnates et notos; tamen ipsi vocabantur ad statum pauperem et humilem: vos autem, sicut voluimus, vestros vocatis ad statum divitiarum et superbie. Ipsi quoque reliquerunt omnia: et vos capitis infinita. Nec estis invidi, quia aliis bonum non vultis, ne successibus eleventur; nec accidosi, quia ad hoc labori parcitis, ne in discretione argui vos contingat; nec gulosi, quia ad hoc corpus nutritis, ut fortius Christo servire possitis; nec luxuriosi, quia ad tempus, ad placitum vivitis et post ea fideliter penitere vultis: et sic de aliis. Et sic melius potestis et scitis perpetrare vitia et sub virtutum specie palliare. Allegatis pro vobis et glosatis distorte, et nitimini ad propositum inducere. Et si quis predicet contra vos aut doceat, ipsum excommunicando violenter opprimite et a vobis tamquam hereticus condemnetur tantumque inde faciatis quod locum ipsum habere valeatis, quem vobis preparavimus sub nostri habitaculi secretissimo fundamento, quem nondum quis novit accedere exceptis maioribus satrapis regni nostri, quem vobis etiam singulariter reservamus supra omnia. Etiam habemus vos precipue recommendantes quod ludis taxillorum et alearum potissime vos ingeratis, quibus etiam adeo intenti, ut illa que ad vestrum spectant officium omittere non formidatis. Sed scriptum est « Clericus alee et taxillis deserviens aut desinat aut deponatur ». Qui enim ipsis ludis intersunt, vel taxillis simpliciter iactant aut participes et inspectores seu lusoribus computantes, pene infernali omnes deputati sunt.

In ipsis namque ludis taxillorum et alearum decem peccata committuntur. Primum est desiderium lucrandi: ecce cupiditas, sive avaritia que est idolorum servitus. Secundum est voluntas spoliandi proximum: ecce rapina, que non dimittitur nisi ablatum restituatur. Tertium est usura maxima, quia uno denario lucentur mille: non enim defecit de plateis eius usura et dolus. Quartum est et sunt verba otiosa, de quibus redditur ratio in novissimo die. Quintum est falsum testimonium, periurium et mendacium: os autem quod mentitur occidit animam. Sextum est proximorum corruptio, qui ad inspiciendum ludum conveniunt: unde qui alteri malum exemplum prestitit, duplici peccato punietur. Septimum est oblivio in Deum, quia Deum qui te genuit dereliquisti et oblitus es Dei creatoris tui. Octavum est contemptus statutorum ecclesie, que si quis contempserit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus: maior est enim obediens quam victima. Nonum est amissio temporis: omne enim tempus in vobis adeo requiritur, quomodo sit impensum. Decimum est fraus et rixa: qui autem dolose agit non habitabit in tabernaculo domini, sed peribit de populo domini. Vos autem amici nostri supradicti non speratis futurum premium, nec formidatis eternum supplicium, ideoque vitam quam speratis non habebitis sed nobiscum mortem obtinebitis, ne timeatis. Filiam autem nostram secundam, scilicet Ipocrisim, religiosis quibuscumque committimus, qui religionem in habitum et tonsuram tantum ostendunt, in corde autem minus habent. Tertiam filiam nostram, scilicet Rapinam, nobilibus et militibus adiungimus qui pauperes spoliant et se et suas uxores ex hoc nutriunt delicati. Quartam filiam nostram, scilicet Usuram, damus burgensibus qui tantum accommodant ad tempus ut participes sint lucri, non damni. Quintam filiam nostram Dolum vobis dilectis nostris negotiatoribus adiungimus cum suis pedissequis, scilicet mendacio et periurio. Vos namque duplicem mensuram et libram facitis unam minorem quam expenditis, et aliam maiorem quam accipitis; loca etiam obscura et fenestras parvas facitis, ut lateat defectus rei venalis emptoribus vestris. Sextam filiam nostram, scilicet Sacrilegium volumus habere pro agricolis, qui ad vestram felicitatem scilicet servitii pro ministris et ancillis damus, qui bona dominorum suorum negligunt et ea occulte subtrahunt et disperdunt ⁽¹⁾. Octavam filiam nostram, scilicet Superbiam iniungimus uxoribus nobilium et divitum que varias vanitates inveniunt et volunt rara et pretiosa deferre vestimenta. Cum enim vicinas et cognatas suas aliqua vana viderunt deferre, tunc ipse suis maritibus non dant requiem die ac nocte, donec similia vel meliora procurent; dicunt enim: « Eia « si me diligeretis sicut ille vel iste suam diligit uxorem, tunc simili modo me « vestiretis ». Nonam filiam nostram, scilicet Luxuriam, omnibus advenientibus volumus esse convenientem. Quidquid dictis filiabus nostris impenditis, nobis ipsis impensum reputabimus. Valeatis itaque felicitate ipsa, qua vos intendimus et volumus sine fine premiare. Datum die tribulationis, et cetera.

(1) Lacuna probabile nel codice: manca qui tra la figliolanza di Lucifero e Iniquità, il settimo rampollo, « Falsus sermo ».

III.

EPISTOLA MISSA CLEMENTI PPAE SEXTO.

(Stampa B. Corsiniana).

Isthec epistola fuit a paucis diebus casu reperta in libro quodam tabularum Alphonsi regis vetustissimo, quam cum viderem moribus nostri seculi, plusquam illius quo missa fuit, congruere, hanc ad verbum fideliter describi curavi, nihil omittens dictorum Luciferi. Porro in fronte erat scriptum:

Clemens sextus Episcopus Romanus circa annum Christi Millesimum Trecentessimum quadragesimum quintum regnavit.

Lucifer princeps tenebrarum, rex Acherontis imperii, dux Herebi, dominus Inferni rectorque Gehennae, omnibus sociis regni nostri, filiis superbiae, praecipue modernae ecclesiae principibus (de qua quidem ecclesia, noster adversarius Jesus Christus per prophetam suum dixit: « Odi ecclesiam malignantium ») salutem. Cum nobis excedere Infernum nostrum uti vos coram alloqueremur, non datum sit, cautum fuit in conventu nostro amplissimo ut ad vos, nobis amicissimos, nuncium nostrum cum literis delegarem, quoniam quidem totis viribus nostris obedire mandatis coeperitis, legibus parere et nostri iuris praecepta iugiter observare. Iam pridem Christi vicarii illi, magistri sui vestigia insequentes, signis et virtutibus monstrabiles, atque quandam pauperum vitam degentes, praedicationibus et operis totum pene mundum a nostrae tyrannidis iugo, ad suam libertatem christianam traxerant: doctrinam sanam, et vitam eum docentes, quod erat in nostri tartarei regni illusionem maximam et contemptum, nec non in nostrae iurisdictionis non modicam ruinam et enervationem, non verentes nostram laedere potentiam et terrificam nostri status offendere maiestatem. Illo namque tempore nulla recipiebamus a mundo vectigalia, nullos census, nec concursu solito catervatim veniebat ad nostri barathri limina fiebile vulgus, ac via lubrica et lata quae ducit ad mortem sine ullo strepitu infrequens manebat, nullis miserorum gressibus conculcata: atque tota nostra vacante curia ululabat Infernus, anxius, gemens, depopulatus. At tam grande vulnus infernae tyrannidis, nostri pectoris impatiens feritas ultra ferre non valuit, neque tantorum pastorum vigilantiam voluit amplius tolerare: sed docti experientia, futuris obviando periculis, antidoto nobis cavimus opportuno. Nam in locum istorum nobis adversantium apostolorum et omnium aliorum sequentium duodecim illorum ducum vestigia, eos moribus et vita repraesentantium, vos fecimus dominari, illos de gradu deiiciendo. Nostro enim astu et potentia dolo circumfulta, vos omnes qui his temporibus sic ecclesiae praesidetis sublimes fecimus, praeter paucos infimos et pulverulentos, adhuc nobis infestos. De vobis autem ille quondam dixerat iniquis: « Regnarunt impii, et non ex me ». Voluimus enim aliquando illi Christo omnia regna mundi tradere, si cadens nos adoraret.

Sed ipse suis sequacibus exemplum demonstrans, petita renuit facere: quasi in hoc mundo non constaret regnum suum. Neque unquam (nobis semper renitens) magnificet nostra caduca et fluxa, quae vos tantopere admiramini; itidem latenter aufugit, dum ipsum turbae voluerunt in regem eligere temporalem. Sed vos et reguli estis, et maioribus adulamini regibus. In vobis autem qui de statu gratiae cecidistis et nobis ministratis in terris, id quod impense cupiebamus impletum est. Terrena enim imperia quae vobis contulimus bene curastis, nobisque quam plurima acquisistis, latius imperii traditi fines propagando. Ille enim dixit (ut vos non latet): « Venit princeps mundi huius et in me non habet quicquam ». Veni equidem et princeps mundi huius, qui etiam si in illo et suis nihil mihi sit, in vobis omnibus amicis habeo plurima. Qua de re rursus constituimus vos super omnes filios superbiae, et regna mundi. E diverso iste noster impetitor voluit suos principibus huius saeculi misere subiici, dicens per suum apostolum: « Subiecti estote omni creaturae, propter dominum, sive regi, tamquam excellenti »; et rursus: « Obedite praepositis vestris ». Sed id optime interpretati estis, quod vobis praepositis (a nobis, non ab illo evocatis) debeant subiici hominuli, quamquam dixerit: « Reges gentium dominantur eorum: et qui potestate statem habent, benefici vocantur: vos autem non sic », suos et apostolos et eorundem sequaces volens despectabiles, inopes, pulverulentos, perpetuis denique laboribus et erumnis afflictos et deturbatos. Verum dicemus vobis: « Vos autem non sic », postea quam mollitia quadam nitidi et compositi estis, non modo illis quos debetis referre dispares, verum penitus adversantes comitatu, vestitu, victu. Iam fecimus vos omnibus hominibus sublimiores, regibus et imperatoribus invictissimis dominantes, tanquam nihil habentes et omnia possidentes, neque reddentes quae sunt Caesaris, Caesari, et Dei, Deo: quin potius secundum decreta nostra, utriusque iurisdictionem usurpantes, terrenis negotiis immiscentes atque secularibus rebus implicitos, et nobis militantes. Num quid tamen de paupertatis pulvere ascendere vos fecimus ad culmen honorum, de mendicata religione ad pinguissimum episcopatum? Et id, quia vobis suggestimus lites, hipocrisim, fallaces practicas, adulationes, mendacia, periuria, proditiones, simonias et caetera vitia execrabiliora, quam excogitare potuissent nostrae Furiae infernales? En meos cives et domesticos! Cum enim illic estis evecti ad summa et pingua sacerdotia, non sufficiunt ea adepta; sed magis egentes et pecuniarum vacui (et id nostro fato) quam eratis, pauperes et beneficiis carentes, tum opprimitis insontes, depopulatis subditos, omnia rapitis; nil est quod a vobis non pervertatur ut infanti superbiae atque libidini vestrae satisfaciatis, luxuriose vivitis; in conviviis et deliciis ducitis dies vestros, imposuistis vobis nomina in terris deos sanctos, sanctissimos vos appellantes. Bona quae per technas et falso titulo possidetis, quae quondam in enutritionem pauperum (quos semper odimus) fuerant erogata, in libidinem vestram expenditis, nempe in accipitres, equos, canes venaticos, palpones, leones, meretrices, cum quibus noctu diuque estis, vobiscum quoquo versum progredimini, deducitis: ut non pauper sacerdos Christi, quoties unus vestrum urbem suam excedit, videatur abire, sed potius satrapes

persicus aliquis, aut tyrannus, qui in via ob parricidia sua timet incaute circumcidi. Sed haec decent statum vestrum, quamquam per diametrum ab instituto illius Christi et apostolorum dissident. Edificatis vobis palatia, omni amoenitate spectabilia, devoratis cibaria et vos ingurgitatis vino, omni delicatiori gustu exquisito. Thesauros conservatis innumeros, non sic ille qui olim inquit, «Aurum et argentum non est mihi»; sed vos aurea saecula reparastis. O societas gratissima daemonibus, iamdiu per prophetas estis praevisa, atque reprobata! Vos Christus iste appellavit sinagogam sathanae (ut estis), designavit per meretricem magnam, quae fornicata est cum regibus terrae, facta de matre noverca, de sponsa Christi adversarii nostri, adultera; de casta meretrix et nostra. Iam iam explosa est omnis paupertas, charitas illa prima per vos refriguit, nobis adhaeretis. O dilecta nostra Babilon, o cives nostri, qui huc de Hierusalem transmigrastis! Merito vos diligimus, qui leges Simonis Petri illius piscatoris negligentes, legibus nostri Simonis Magi praepotentis hominis et Caesaris amici adhaerescitis, eas ad unguem amplectimini in templo ementes et vendentes spiritualia, impartitis beneficia (nam sacerdotia dici debent, verum post inversam appellationem, id quod virtuti debebatur, libertati vestrae adscripsistis), prece, praetio, lenocinio, sanguine, scorto; favore dignos connivendo omittitis, indignos vero pro vestra libidine promovetis, utpote scurras, lenones, ignavos vestros nepotes, ne dicam filios; atque uni puero multa confertis omnis generis sacerdotia, quorum minimum probo nec non et erudito pauperi denegatis, personas prosperas tando, contra impetitoris nostri istius Pauli documentum. Cum beneficia confertis, rationem habetis pecuniarum, non animarum: nam quos census annuatim pendat, non quot animas habeat, diligenter exquiritis. Domum Dei fecistis speluncam latronum, in qua nundinatio quaedam sacrorum fraude atque dolo fucata, pro summa vigilantia et conservatione bonorum ecclesiasticorum in praesenti habetur. Atque hanc totam artem vestram, tam probe inferiores sacerdotes vestros docuistis, ut ab instituto latum unguem non discedant, neque est aliquod scelus, quod ipsi iam iam non pervaserint. Multo etiam vobis omnibus deceptio carior, quam saecularibus tyrannis. Leges statuitis, quas non observatis, vestra enim dispensatione, aut potius dissipatione, vos ipsos omni iugo liberos facientes; iustitia vestra et leges favore et muneribus iustos et insontes opprimunt, improbos vero damnant praemio. Quam digni atque diligenter sitis in terris rerum nostrarum procuratores, tabulae iamdudum refertissimae attestantur, cum pene nemo homo sit, qui in fide christiana non haesitet. Nam etsi quando praedicetis (licet negligenter, et raro, et pauci inter vos haec faciant) attamen vulgus vobis non credit, eo quod ante oculos videat opera vestra dictis adversantia: hinc vos insequens perinde ac sibi praepositos in exemplum, ut plurimum vestris utitur moribus, irruens in omne pelagus vitiorum. Unde tot homines ad nostri barathri aedes quotidie confluunt, quos transmittitis, ut nisi nostrum chaos insatiabile esset, eos certe non caperet. Et sic per vos amicissimos nostros imperium nostrum instauratius fit, ac damnum nobis ineluctabile restitutum est: quamobrem vobis innumeras gratias infernales

tandem referemus. Nihilominus vos semper exhortamur, uti perseveritis, quia per vos brevi intendimus totum mundum in nostram ditionem iterum revocatum iri. Rursus igitur vices nostras in terris vobis delegamus his literis, et volumus vicarios nostros esse et ministros perpetuos ad haec, quoniam de missione proxima Antichristi cogitamus, cui viam (praecamur) praeparate, ut facitis. Interim autem in vestrum auxilium et consilium furias nostras atque satrapas aliquos Inferni commitemus, qui vaftris suis suggestionibus atque dolosis adinventioibus quicquam astutiae vestrae addent, et technas vestras augebunt. Insuper vobis qui summum tenetis apicem in rebus, consulimus non ab re, inter principes saeculi pacem procuretis, sed occulte causas discordiae nutriatis, et veluti vestra semper laudanda arte Romanum evertistis imperium, ita ne permittatis regnum aliquod nimium fines propagare, ne plus potens factus eo rex in pace et otio degens, vestros dolos percipiat et fraudes. Hinc forsitan statum vestrum imminuet, rem ecclesiasticam instaurans, thesaurosque vestros auferre enitetur, quos amicissimo nostro Antichristo in acervo conservatis. Praeterea non mediocriter vobis commendo carissimas filias nostras (quamquam vobis satis carae): Superbiam dico, Ambitionem, Avaritiam, Gastrimargiam, Luxuriam, una cum tota vitiorum nostrorum centuria; in primis dominam Simoniam, que vos genuit, ac propriis lactavit uberibus. Ipsam autem non vocetis simoniam, sed permutationem, aut resignationem: insimulant vos simoniae nonnulli obscuro et nullius nominis viri, sed inciviles et ineruditi legum. Quisnam prohibebit venundare quod emistis sacerdotium, aut pecunia numerata, aut adulatione, aut lenocinio, aut aliquo officio praestito? Nam quotum quodque beneficium hoc tempore secus habetur? «*Gratis* (inquiunt) accepistis: *gratis* «*date*». Neque vos accepistis gratis neque debitis, neque ii quibus illud venundatis, sacra plebeculae suggerent gratis. Consuetudo laudanda (ut dicitis) in his robustior est, quam ut possit ab aliquo infringi. An vel gratis accipiunt ii, quos vocant gradatos, qui sexagies renuendum onus, imponendum querunt per innumeras lites, favores, sudores et studii sui interruptiones? Deberent prece accersiri potius a plebecula in sacerdotium: hi autem interna charitate accedere, et non vi irrumpere. Sed eia agite, nullus est iam in ecclesia ordo, infimus, medius, supremus, sanctus, sanctior, sanctissimus, in quo non multos habeamus commilitones. Proinde an ambitionem, an potius avaritiam vocemus vestram, qui sexcentis beneficiis humeris vestris impositis, adhuc ambitis? Et si unum illorum effluat, in eiusdem loco duo succedunt, aut deperdito, longe pinguius damnum factum resarcit. Estis enim instar hydrae personati: quibus abscisso uno capite, duo renascuntur. Quid tandem de statu vestro dicemus? Non certe superbi, aut plura quam oporteat, de vobis sumitis. Talem enim pompam et apparatus expetit honestas ecclesiastica, quae pessum cito iret, nisi tanta maiestate illam tutaremini. Num is (etiam inter principes) semideus habetur, qui iamdudum miser pedes obambulabat emendicans, nunc autem quatuor et viginti equitibus circumductus, magnifice incedit: tam belle satrapem persicum agens, et in suos tam morosus ut nemo intimorum amicorum sit (quamquam etiam

ii nostri sint) qui non det locum tam morosae magnificentiae. Ceterum, qui vos unquam avaros audebit vel submurmurare, etsi omnia bona mundana adipiscamini, cum non vobis, sed Petro et eius patrimonio ea acquiratis vos: quo clipeo adamantino se belle protegit sanctissimus ille. Hunc iampridem ad nos evocassemus, nisi una cum sua curia in dies plures nobis acquireret animas, quam tota daemonum turba. Vestra sacerdotia nonnunquam revisa bubulo elocatis sacerdoti, sed ferocenti, et qui sciat iura vestra ecclesiastica adversum impios defenditare, aut qui summum precium vobis persolvit; ita ut non oves vestras retundat, sed deglubat potius, si illud persolvere velit. Tandem quam vos evocamus ad nostra inferna palatia, in locum vestrum supponite nepotes vestros, etsi improbissimos. Sunt enim digni talibus maioribus, et eos quandoque inter primates nostros habebimus, modo non degenerent a suis patribus. Nec sinatis quoties pingue aliquod sacerdotium familiam vestram ingressum fuerit, eam excedere: sed per vices alter in alterum illud refundite. Iste Christus suos cognatos ad apostolatam quandoque evocavit: pauper divites, ut Matthaeum, ad paupertatem. Vos e diverso, pauperes ad divitias accersitis. Quid ultra opus est verbis? vos certe probe iura nostra calletis, et secundum ea facitis. Unum hoc tantum dicam, si quid sit in istis sacris literis, quod vos torqueat, glossa vel distinctione ad rem vestram indirecte adducatis, ne sitis muti. Nam illae litterae nobis per diametrum adversantur. Multa etiam poteritis mutuo accipere a iurisprudentibus illis, nobis amicissimis, qui omnia tam subtiliter noverunt glossare et distinguere: hi enim non secus legibus utuntur, atque aucupes visco ad aves capiendas; hac enim sua, immo nostra iuris scientia, caute ad aucupium pecuniae utuntur. Sed ad eos alias nuncium delegabimus. Demum, si quis contra vos concionetur, aut quicquam doceat (eo quod sitis longe improbiore iis quibus in exemplum praepositi estis), ipsum excommunicantes violenter opprimite, et a vobis tanquam haereticus ex templo proscribatur, ne altius caput elevans, in longinquum suam eruditionem spargat. Tum de nobis nostraque doctrina bene meriti, locum habebitis quem vobis paravimus sub nostri habitaculi infernalis imo fundamento. Hunc enim locum unice caris conservamus, ad quem adhuc nemo novit accedere, exceptis summis illis principibus regni nostri. Nolumus omnia quibus de nobis bene meriti estis, litteris mandare: nam et nobis non vacabat et scimus quod in finem usque perseverabitis, cum nec futurum speretis praemium, nec aeternum formidetis supplicium. Ideoque nec vitam, quam non creditis, habebitis: sed nobiscum mortem obtinebitis, quam viventes non timetis. Valete amantissimi nostri, quibus acceptum referimus, quicquid aut infimorum sacerdotum (etsi multum sit) aut rudis vulgi accipimus.

Datum in centro terrae, ac in palatio nostro tenebricoso, praesentibus nostris daemonibus, propter hoc spetialiter evocatis ad nostrum consistorium dolorosum, sub nostri terribilis signi caractere, in robur praemissorum.